

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput XXV. Continens Historiam De Vocatione Philippi Et Nathanaelis,
Quae Postrema Die, Priusquam A Jordane In Galliaeam Jesus Reverteretur,
Facta Est, Joh. I.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

Disputant autem, an hoc loco impositum sit Simoni hoc nomen Petrus: An verò tantum sit prædictio de futura impositione, quæ facta sit, vel Matth. 16. v. 18. vel Marc. 3. v. 16. ubi in electione Apostolorum dicitur, Simoni imposuit nomen Petrus. Augustinus verò existimat, hoc loco ipsi impositum nomen Petri, quia Matth. 4. v. 17. de vocatione ipsius textus inquit: Vidit Simonem τὸν λεγόμενον Petrum. Matth. 16. v. 18. verò tantum rationem nominis explicari, & Marc. 3. v. 16. cum eliguntur Apostoli, textum ita interpretandum, ἐπεὶ θῆκε, hoc est, antea imposuerat Simoni nomen Petri. Sed illa observatio utilior est: quòd exempla Scripturæ ostendunt, quibus Deus nomina vel mutavit, vel nova imposuit, quòd illorum opera & ministerio ad res magnas uti voluit, ut de Abrahamo, Isaac, Jacobo, Josia, Cyro, Johanne exempla testantur. Ita Jesum amanter intuendo in Simonem, de futuro ipsius ministerio vaticinatum, & quis scopus ministerii ipsius futurus esset, novo nomine Ce-

phas indicasse, quod ipse explicat, 1. Pet. 2. vers. 4. Hæc interpretatio, quia ipsius Petri est, fallere non potest. Et eadem etiam est Christi interpretatio, Matth. 16, 18. Quòd, si quis conetur inde colligere, quæ capita doctrinæ Christus Petro in prima adductione proposuerit, poterit hac via progredi: quòd scilicet mutatione nominis ostenderit, credentes transire in familiam Christi accepto novo nomine, quod os Domini nominavit, & in cælis ascriptum sit. Item, quòd appellatione Petri Christus ostenderit, se esse lapidem illum angularem, Psal. 118. v. 22. fundamentum Ecclesiæ, cui oporteat superædificari omnes tanquam Petros seu vivos lapides, qui nolunt à portis inferorum expugnari. Complectitur etiam appellatio Petri doctrinam de ministerio ædificante super Petram. Hæc, si tunc non fuerunt à Christo explicata, in verbis certè comprehensa fuerunt. Et illa breviter notare volui, quia præcipua observatio in hisce historiis debet esse de doctrina.

C A P U T XXV.

CONTINENS HISTORIAM DE VOCATIONE PHILIPPI ET NATHANAELIS, QUÆ POSTREMA DIE, PRIUSQUAM A JORDANE IN GALILÆAM JESUS REVERTETUR, FACTA EST, JOH. 1.

RATIO ordinis manifesta est, Evangelista enim expressè dicit, postridiè, post Petrum adductum ad Christum, hæc de vocatione Philippi & Nathanaëlis accidisse, cum Jesus jam vellet à Jordane in Galilæam discedere.

HISTORIA DE VOCATIONE PHILIPPI, ET ADDUCTIONE NATHANAELIS,

Johan. 1.

- | | |
|--|--|
| <p>44. Τῆ ἐπαύριον ἠθέλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐξελεῖν εἰς τὴν Γαλιλαίαν· καὶ εὗρε σκοπὸν Φίλιππον, καὶ λέγει αὐτῷ· Ἀκολούθει μοι.</p> <p>45. Ἦν δὲ Φίλιππος ἐκ τῆς Βηθσαϊδά, ἐκ τῆς πόλεως Ἀνδρεᾶ καὶ Πέτρου.</p> <p>46. Εὗρε σκοπὸν Φίλιππος τὸν Ναθαναὴλ, καὶ λέγει αὐτῷ· Ὁν ἐγραψέ μοι Μωσὴς ἐν τῷ νόμῳ, καὶ οἱ προφῆται, εὐρηκα σε, Ἰησοῦν τὸν υἱὸν Ἰωσήφ τὸν ἐκ Ναζαρεθ.</p> <p>47. Καὶ εἶπεν αὐτῷ Ναθαναὴλ· Ἐκ Ναζαρεθ δύναται τι ἀγαθὸν εἶναι; Λέγει αὐτῷ Φίλιππος· Ἔρχε καὶ ἴδε.</p> <p>48. Εἶδεν ὁ Ἰησοῦς τὸν Ναθαναὴλ ἐρχόμενον πρὸς αὐτὸν, καὶ λέγει πρὸς αὐτὸν· Ἴδε ἀληθῶς Ἰσραηλίτης, ἐν ᾧ δολοῦμαι ἐγώ.</p> <p>49. Λέγει αὐτῷ Ναθαναὴλ· Πόθεν με γινώσκεις; Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτῷ· Πρὸ τῆς σε Φίλιππος φωνήσας, ὅτε ἔστω πρὸς τὸν σικκινῶν, εἰδὼν σε.</p> <p>50. Ἀπεκρίθη Ναθαναὴλ, καὶ λέγει αὐτῷ· Ῥαββί, σὺ εἶ ὁ υἱὸς Ἰωσήφ, καὶ σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς Ἰσραὴλ.</p> <p>51. Ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ· Ὅτι εἶπὸν σοι, εἰδὼν σε ὑποκάτω τῆς συκῆς, πιστεύεις· μείζω τούτων εἶμι.</p> <p>52. Καὶ λέγει αὐτῷ· Ἀμὲν ἀμὲν λέγω ὑμῖν, ἀπὸ ἀρτί οἴψετε τὸν οὐρανὸν ἀνεωρόμεθα, καὶ τὰς ἀγγέλους ἔσονται ἀναβαίνοντες, καὶ καταβαίνοντες ἐπὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.</p> | <p>44. Postero die voluit Jesus exire in Galilæam: & reperit Philippum, & dicit ei: sequere me.</p> <p>45. Erat autem Philippus à Bethsaida, civitate Andree & Petri.</p> <p>46. Reperit Philippus Nathanaël, & dicit ei: De quo scripsit Moses in Lege, & Propheta, invenimus, Jesum filium Joseph Nazarenum.</p> <p>47. Et dixit ei Nathanaël: à Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: veni & vide.</p> <p>48. Vidit Jesus Nathanaël venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.</p> <p>49. Dicit ei Nathanaël: Unde me nosti? Respondit Jesus, & dicit ei: priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, videbam te.</p> <p>50. Respondit Nathanaël, & ait ei: Rabbi, tu es ille filius Dei, tu es ille Rex Israël.</p> <p>51. Respondit Jesus, & dixit ei: Quia dixi tibi, videbam te sub ficu, credis: majora his videbis.</p> <p>52. Et dicit ei: Amen amen dico vobis: posthac videbitis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes ac descendentes super filium hominis.</p> |
|--|--|

Periocha hujus Historia.

Evangelista pergit describere progressum Ecclesiæ Christi, à quàm tenuibus initiis, per quæ obscura incrementa, hominum scilicet Galilæorum, ex obscuris vicis Bethsaida & Cana oriundis, progressio facta sit. Ostendit autem Evangelista, Jesum non diu ad Jordanem apud Baptisam in Bethabara, ubi magna frequentia populi conveniebat, mansisse. Quarto enim die, vel non diu post quartum, ex quo ex deserto redierat, [*voluit,*] hoc est, constituit [*exire in Galileam:*] ex loco scilicet celebri, in Galilæam, obscurum locum. Nolebat enim Jesus hominum testimonii confirmari, Joh. 5. v. 34. sed verbo & miraculis volebat probare, se esse Messiam. Elegit autem Galilæam, regionem ignobilem, ut fides cognitionis Messias non externa specie, sed verbo Dei & testimonii miraculorum niteretur. Non autem primo statim quarti diei diluculo iter ingressus est: sed prius Philippum vocavit, & Nathanaëlem sibi adjunxit: vel sensus erit, quòd in profectioe, quam in Galilæam susceperat, Jesus, in Philippum inciderit. Philippum autem non ita vocavit, sicut Andream venientem, & Petrum adductum ad se, recepit: sed Jesus prior inveniens Philippum, inquit illi: [*sequere me.*] Phrasis autem illa, quando de præceptore & discipulis usurpatur, significat, se dedere in disciplinam alicujus, sectari aliquem quasi individuum comitem, institutionis gratiâ. Ita Luc. 9. v. 49. dicitur, vidimus quendam signa edentem, qui non sequitur nos. Ita Elifæus sequitur Eliam, 2. Reg. 19. v. 20. Philippus igitur primus est, quem Christus immediatè vocavit, ut esset discipulus. Petrus enim & Andreas ipsi ad Christum venerant, & postea ad artificia sua reversi sunt, & tunc demum vocati sunt, ut sequerentur Christum, Matth. 4. v. 19. Vides ergo, modos vocationis ad Christum diversos esse. Andreas à Johanne mittitur ad Christum, Petrus ab Andrea adducitur: Nathanaël à Philippo invitatur ad Christum. Philippum verò Christus ipse vocat. Et tamen ad Nathanaëlem inquit: priusquam Philippus te vocaret, vidi te. Præveniuntur igitur & trahuntur omnes à Christo per verbum, alii occultius, alii manifestius.

Quòd autem Philippus, ad unicam vocem, Christum, quem nondum vel docentem audierat, vel miracula edentem viderat, sequitur, & pro Messia amplectitur, non arreptitium aliquid est, nec levitati Philippi, sed divinæ virtuti & efficaciam vocis Christi tribuendum est. Hoc ipsum enim testimonium fuit, hunc Jesum esse Messiam, cum verbum ejus tam efficaciter in cordibus operaretur. Evangelista verò videtur indicare, Philippum, prius ex Andrea & Petro ea, quæ ipsi ex colloquio Jesu didicerant, cognovisse. Ideò enim addit: [*Philippum fuisse ex civitate Andree & Petri.*] Et civitatem illam (Bethsaida) nominat, non propter loci celebritatem: sed ut ostendat, ex quàm obscuris vicis primos discipulos Christus allegerit. Scribitur autem מְבַרְכֵי בֵּית צַדִּיק, quod interpretantur domum venerationis. Sed quia circa stagnum Genezareth non venatores, sed piscatores habitabant, & ab ea-

dem radice צַדִּיק rete & hamus, quo pisces capiuntur, nominantur, simplicius est, dictam Bethsaida, quasi domum retium seu hamorum, quibus pisces capiuntur. Et Syri piscatores vocant צַדִּיק, ut sit civitas piscatorum.

Philippum verò jam vocatum, præ gaudio à latere Christi paulisper discessisse, quaesitum Nathanaëlem, ut ipsi hoc indicaret, inde colligitur, quòd ficus illa, sub qua Philippus invenit Nathanaëlem, tam procul abfuit à loco, ubi Christus tunc erat, ut maximi miraculi loco ducat Nathanaël, cum Christus inquit: [*Vidi te sub ficu.*] Fuit autem Nathanaël ob viciniam Philippo notus, ex Cana enim fuit, Johan. 2. i. v. 2. si non cognatus, ut Simon Andree. Et nomina quidem Andree & Philippi Græca esse, certum est. Usus enim Græcarum appellationum in nominibus propriis, unâ cum imperio & familiaritate Regum Syriacorum inter Judæos invaluit: sicut Machabæorum historia ostendit. Nathanaëlis verò nomen Ebraicum est, idem significans quod Græcis Theodorus: & apud Augustinum à Deo datus. Illum igitur Nathanaëlem quaesitum, cum Philippus invenisset, præ gaudio & exultatione erumpit in hanc vocem: [*Invenimus Messiam.*] Et apparet, in loco illo circa Jordanem, in diebus illis, vocem hanc quasi in omnium ore fuisse. Singuli enim non dicunt, inveni: sed exclamant: [*Invenimus Messiam:*] Philippus autem non simpliciter sicut Andreas dicit: [*Invenimus Messiam:* sed, [*Invenimus ipsum, de quo scripsit Moses, & Prophetæ.*] Unde apparet, inter Philippum & Nathanaëlem sæpe fuisse colloquia de sententiis ex Mose & Prophetis, quæ de Messia loquuntur: & utrumque aruisse desiderio Messia. Ideò enim hoc modo ipsum alloquitur. Quòd verò Philippus addit: [*Jesum filium Josephi Nazarenus,*] in eo observetur, quomodo Christus inter initia fidei navos aliquos in suis toleret, ut emendet. Philippus enim agnovit, Jesum esse illum, quem Moses & Prophetæ scripserunt: sed duos habet navos, 1. quòd putat, Jesum ex Josephi semine esse natum, hoc est, ignorat, conceptum ex Spiritu sancto, & ex virgine natum. 2. locum natalem ejus existimat esse Nazareth. Et tamen Christus ipsi inquit: [*sequere me.*] Vocat autem ipsum Christus, non ut in hallucinationibus istis maneat, sed ut rectius erudiat, & quomodo illud fieri incipiat, quod hæc historia ostendit. Nathanaël enim objicit, quod forsan vulgare tunc fuit proverbium: [*An à Nazareth boni aliquid potest esse?*] Significat enim, non consentire scriptis Prophetis, ut locus natalis Messia sit Nazareth. Philippus verò, quia ad objectionem illam respondere non potest, [*Veni,* inquit, & vide,] hoc est, de persona & officio Jesu Messia non dubito; si qua autem sunt, quæ non satis aut non rectè intelligo, ab ipso dicemus. Philippus enim non dubitat, si Nathanaël ad Christum accesserit, viderit & audierit ipsum, fore, ut omnes dubitationes ipsi eximantur, & credat, hunc Jesum esse Messiam: ideò inquit: [*Veni & vide.*] Et Nathanaël non ideò abjicit indicationem Philippi, quòd omnibus obje-

obje-

objectionibus non possit satisfacere, sed patitur, se duci ad ipsum fontem. Hæc plena sunt multiplicis doctrina. Augustinus legit affirmativè, quasi Nathanael dicat: Verum est, etiam à Nazareth potest aliquid boni esse: hoc est, Messias, quia Nazareus vocabitur. Sed prior sententia ut communior, ita & simplicior est, & magis convenit responsioni Philippi, (*veni & vide.*) Et obiter observetur, quia prædictum fuerat Il. 2, 3. In diebus illis ibunt populi multi, & dicent, venite ascendamus, &c. Ideò aliquoties jam repetitur, *venite & videte. Item, veni & vide.*

Cùm verò Nathanaelèm Jesus videret à Philippo ad se adduci, cùm propè accessisset, ut exaudire posset, cœpit de illo dicere, sine dubio ad Andream. Petrum & quicumque fuit tertius ille, Joh. 1. v. 37. (*Eccè verè hic est Israëlita.*) innuens id, quod Paulus Rom. 9, 6. clariùs explicat: Non omnes qui sunt ex Israël, sunt Israël: hoc est, non qui filii sunt carnis, hi & filii Dei sunt; sed qui filii sunt promissionis, recensentur in semen. Quòd verò additur: (*In quo non est dolus.*) non sensus est, quòd sine omni peccato mundus fuerit Nathanael. In hanc enim sententiam de solo Christo, 1. Pet. 2, 2. dicitur. Non est inventus in ore ejus dolus. Sed vera sententia ita colligi poterit. Respicit enim ad historiam Jacobi, à quo Israëlita nomen habet, Gen. 25, 27. Elati erat peritus venator, Jacob verò vir simplex & rectus, seu integer, habitans in tentoriis. Et hoc Christus videretur voluisse exprimere, cùm inquit: (*In quo non est dolus.*) Est autem Antithesis inter verum Israëlitam, & inter illos, qui hoc nomine se jactabant, & externam pietatis speciem præ se ferebant: simulabant se ardentè expectare Messiam, sed in ipso non remissionem peccatorum, sed alia quædam quærebant, sicut igitur Psal. 32. v. 2. dicitur, in illius Spiritu non esse dolum, qui non tacet, aut occultat peccatum suum; sed confitetur illud Domino, & agnoscit, beatitudinem suam esse remissionem peccatorum: Ita de Nathanaele Christus inquit, verus est Israëlita, ex animo enim & rectè querit Messiam, non dolo Pharisæico, sed ut remissionem peccatorum & salutem in ipso inveniat, Psal. 32, 2. Hæc interpretatio simplicissima est. Sumitur enim ex Psal. 32. quam etiam Augustinus secutus est: & præbet doctrinam, Christum illos ad se venientes cupidissimè amplecti, quibus doctrina legis agnitione peccatorum Pharisæicum illum dolum detrahit, ut in Spiritu eorum non sit dolus, de quo Psal. 32. v. 2.

Quare autem Christus de animo Nathanaelis illa testificatus sit, historia ostendit: nempe ut hoc argumento probaret, se esse verum Messiam & filium Dei, quod arcana cordium sibi nota sint, 1. Sam. 16. v. 7. Nathanael enim quærit: (*Unde novisti, me talem esse?*) Num aliquando mecum conversatus es? ut animum meum inde agnoveris? an verò ex aliis hoc accepisti? sed Christus ostendit, unde & quomodo hoc novèrit. Inquit enim: cum procul hinc abesses, (*priusquam Philippus te inveniret, & tecum loqueretur, vidi te, cùm sub ficu esses.*) Tria autem miranda, quæ supra hominem sunt, Christus dicit: 1. licet valde procul abfueris, tamen vidi, quòd & quan-

do Philippus te vocavit. 2. imò priusquam te inveniret Philippus, cùm sub ficu illa esses, vidi te. 3. vidi in cor tuum, quod sis sine dolo. Nathanael verò, cùm audiret, Jesum talem esse, cui absentia nota sunt tanquam præsentia, qui omnia videat, qui etiam occulta cordium inspiciat, quæ plùs quam humana, & Dei propria sunt, mox exclamat: Agnosco & credo, te illum esse, quem Moses & Prophetæ prædixerunt. Tria autem Nathanael in confessione sua de Messia complectitur, unde colligitur, doctum ipsum fuisse in Lege, qui præcipuas Prophetarum sententias de Messia rectè intellexerit: 1. vocat ipsum (*Rabbi,*) juxta sententiam Moïsi, Deut. 18. v. 18. Ponam verba mea in os ejus, & loquetur ad eos quicumque mandavero. 2. Fatetur ipsum (*filium Dei,*) sicut Messias appellatur Psal. 2. v. 7. & 89. v. 7. & sicut Baptista, voce paterna cœlitus edoctus, prædicavit, ipsum esse filium Dei. 3. Fatetur ipsum esse (*Regem illum Israëlitis,*) Jerem. 23. v. 5. & 33. v. 14. Zach. 9. v. 9. & Psal. 2. v. 6. promissum. De essentia igitur & de officio Christi loquitur, in quibus vera ejus agnitione consistit, atque ideò additur articulus: (*Tues filius ille Dei, & Rex ille Israëlitis,*) promissus scilicet & expectatus.

Svavissima autem est responsio Christi, ostendens, quàm paterna cura initia fidei fovenda & provehenda suscipiat. Quia inquit, inde quòd de ficu dixi, credis me filium Dei; (*majora his videbis, &c.*) Et convertens sermonem ad quinque illos discipulos, qui jam gustum aliquem agnitionis ipsius acceperant, inquit: (*A modo*) seu post hac (*Videbitis cælum apertum, &c.*) Quia enim Philippus fatebatur quidè, Jesum esse Messiam, sed putabat, ipsum esse Josephi filium, & Nathanael vocabat quidem ipsum filium Dei, & Regem Israelis: sed hoc forsitan ita intellexit, sicut politici Heroës vocantur filii excelsi, Psal. 82. v. 6. Certum igitur est, Christum hoc loco loqui, de clariore revelatione personæ & officii sui, & de pleniori informatione & confirmatione fidei in discipulis illis: sicut Paulus inquit: ex fide in fidem, Rom. 1, 17. Et ex hac commonefactione, tanquam ex scopo dictorum, sensus hujus loci rectè potest colligi. Simplicissima igitur ratio est, si verbum (*videbitis*) intelligatur, 1. de doctrina seu agnitione personæ & officii Christi. Nam & Johan. 6. v. 46. verbum Videntis ita usurpatur. 2. Si postea intelligatur etiam de miraculis cœli aperti & angelorum apparentium, quibus doctrina & agnitione illa confirmata fuit. Hoc modò explicatio hujus sententiæ plana erit. Et quia Christus paulò ante Nathanaelem vocarat verum Israëlitam seu Jacobitam: Respicit igitur ad visionem scalæ Jacob ostensam, Genes. 28, 12. in qua agnitione personæ & officii Messia delineata fuit. Scala enim stat in terra, & pertingit usque ad cælum, ubi Deus innititur scalæ: qua visione significata fuit unio divinæ & humanæ naturæ in Christo, ut idem sit filius Dei & filius hominis, & quia humanam naturam non ex virili semine, sed cœlitus, ex conceptione Spiritus sancti, ex virgine, quasi ex terra, suscepturus esset. Deus enim huic scalæ innititur, & pertingit illa è cœlo ad terram, ubi

ubi Jacob jacebat, cui promissio seminis data erat. Angeli etiam ascendentes & descendentes agnoscunt, filium hominis esse suum Dominum & verum Deum. Cum enim introduceret primogenitum in orbem, inquit: Adorent eum omnes Angeli Dei, Heb. 1, 6. Sensus igitur hoc loco est: (*Videbitis*,) hoc est, discetis personam meam rectius & plenius agnoscere, quod sim scilicet filius Dei, non propter singularem quandam præ reliquis hominibus gratiæ prærogativam: sicut Magistratus vocantur filii excelsi, Psal. 82, 6. Et sicut Nathanaël forsitan primo intellexit. Nam & Elisæus absentia & occulta vidit, 4. Reg. 5, 26. & 6, 9. sed quod sim verus Deus. Qui enim in cælo est, Deus, aperto cælo huic scala innititur, & angeli in cælis agnoscunt me suum Dominum & Deum. Quod etiam sim verus homo, semen Jacobi: non autem ex corrupto semine Josephi, sicut Philippus putabat, sed superveniente Spiritu sancto, scala è cælo pertingente ad terram, filius hominis natus. De officio etiam meo plenius erudiendi eritis. Ne existimetis, me externum regem fore carnali tantum Israelis, more hujus sæculi: sed regnum meum erit cælorum regnum, pro toto mundo, subjectis etiam angelis, Ephes. 1, 21. 1. Pet. 3, 22. & officium meum erit, ut, vobis hominibus cælum peccatis vestris clausum, aperiatur. Nemo enim ascendit in cælum, nisi filius hominis, qui est in cælo, Ioh. 3, 13. is cælum aperuit, & scalam seu viam nobis in regnum cælorum sanguine suo dedicavit, Hebr. 1. v. 20.

Quod verò additur de angelis ascendentibus & descendentibus super filium hominis, inde simplicissimè intelligi potest, quod Paulus inquit, Ephes. 1, 10. recapitulans omnia in Christo, quæ in cælis & quæ in terra sunt. & Col. 1. v. 20. pacificans, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt. Docet igitur Christus, officium suum esse cælum aperire, & cælestia rursus conjungere cum genere humano, quod per peccatum & à Deo & à sanctis angelis avulsum fuerat: ut simus cives sanctorum, & angeli jam descendant super humanam naturam assumtam à filio Dei, & propter caput ad corpus etiam jam emittantur, scilicet ad ministerium electorum, Ebr. 1, 14. emissio enim ad ministerium per descensum & ascensum describitur. Nam angeli emissi descendant, & rursus sistunt se Deo ascendendo, inuncti ministerii rationem reddituri, Job. 1, 6. Zach. 1, 11. Rupertus ita explicat, quod angeli super filium hominis ascendant, ad contemplantam ejus divinitatem, & descendant, ad considerandam ejus exinanitionem, sicut Eph. 3, 10. Paulus dicit: ipsis angelis multifariam sapientiam Dei innotescere. Si hoc modo verbum (*Videbitis*) de clariori doctrina & pleniori agnitione personæ & officii Christi accipitur, præbebit hæc explicatio illustrem sententiam: quæ scilicet sit vera agnitio personæ & officii Christi, ad quam primos suos discipulos sensim voluit provehere. Verba quidem videri possent ad captum rudiorum, quales tunc adhuc erant discipuli illi, obscuriora: sed quia Nathanaelem eruditum fuisse in Lege & Prophe-

tis hæc historia ostendit: Christus igitur visionem Veteris Testamenti, Gen. 28. v. 12. Nathanaeli proponit, & ad agnitionem suæ personæ & officii accommodat, cujus uberiorem explanationem & plenior agnitionem ipsis pollicetur. Dicit enim: (*Posthac videbitis*.)

Deinde verò hæc verba (*Videbitis cælum apertum, & angelos &c.*) rectè ita etiam explicantur & intelliguntur: quod illam doctrinam & agnitionem divinam & cælestibus miraculis gloriam ipsius manifestantibus, confirmaturus sit, præsertim verò apertione cæli & apparitione angelorum circa filium hominis. Quando verò & ubi miraculum illud aperti cæli & angelorum descendendum factum sit, non convenit inter omnes interpretes. Quidam exponunt de apertione cæli in Baptismo facta, & de angelis in deserto accedentibus, Matth. 4, 11. sed Christus de futuro loquitur, (*Videbitis*.) Alii verò dicunt: quia Christus prædicit tale miraculum futurum, (*Videbitis cælum apertum, & angelos &c.*) sine dubio igitur hoc ita factum esse, licet scriptum non sit. Non enim omnia quæ facta sunt, scriptis Evangelistarum comprehensa esse. Chrysostomus verò putat, non esse opus, ut ad incerta & non scripta confugiatur. Duos enim ex hæc discipulos vidisse cælum apertum in clarificatione, Matth. 17, 2. Angelos vivos in resurrectione, & in ascensione omnes vidisse Jesum euntem in cælum, & duos angelos stantes, Act. 1. v. 10. Stephanus etiam vidit cælos apertos, Act. 7. v. 56. Alii meras Allegorias hinc faciunt. Sed hæc est simplex & historica interpretatio. Loquitur enim de miraculis illustrioribus, quibus divinitatem suam comprobaturus erat. Et alibi etiam divinitatem suam probat ex resurrectione & ascensione in cælum, Joh. 6, 62. & Luc. 22. v. 69. A modo videbitis filium hominis, sedentem à dextris virtutis Dei. Ubi eadem phrasis est, qua hic utitur *ἀπ' ἄνω*.

Et hæc est vocatio quinti discipuli Nathanaelis, qui etiam post passionem Apostolis adjunctus legitur, Joh. 21, 2. Et ideo quidam existimant, ipsum Apostolum fuisse: sed qui in catalogo Apostolorum alio cognomine recensetur. Reliqui enim quatuor discipuli Joh. 1. vocati, electi potestæ sunt in Apostolos. Et Joh. 21. v. 1. Christus dicitur, tunc tertio apparuisse discipulis. Illi autem discipuli, quibus bis antea apparuerat, Apostoli fuerunt. Quia igitur in tertia apparitione discipulis illis etiam Nathanael annumeratur: existimant igitur Apostolum fuisse. Et quia Nathanaelis patria, Joh. 21. v. 2. Cana Galilææ nominatur, quidam putant Simonem illum, qui in catalogo Apostolorum Cananæus, Matth. 10. v. 4. Marc. 3. v. 18. appellatur, esse hunc Nathanaelem. Alii, quia in catalogo Apostolorum Philippo semper adjungitur Bartholomæus, sicut Petro Andreas, existimant, Nathanaelem, qui hoc loco unà cum Philippo vocatur, esse illum, qui apud reliquos Evangelistas Bartholomæus appellatur: quod sentiunt, non proprium nomen, sed cognomen esse, sicut Simonis cognomen à familia fuit, Bar-Jona. Atque ideo, cum reliqui Evangelistæ cognomen ponant Bartholomæi, Johannem ejus proprium nomen

nomen Nathanael voluisse exprimere. Sunt etiam, qui propter apertionem cœli, Nathanaëli promissam, existimant, ipsum esse Stephanum, qui vidit cœlos apertos, Act. 7. v. 56. Augustinus verò & alii sentiunt, Nathanaelem hunc non fuisse Apostolum. Et inde, quòd inter quinque primos discipulos doctissimum Nathanaelem Christus non elegit in Apostolum, tria observantur: 1. Electionem Dei beneplacito & gratia, non nostra dignitate & merito, niti. 2. Ne conversio mundi humanæ sapientiæ tribueretur. Elegit Christus Apostolos, homines non doctos, sed plebejos, nulla eruditione celebres, ut totus

mundus agnosceret, Dei opus esse, quòd ipsorum ministerio superstitiones dejiciebantur, & contra omnes inferorum portas per totum mundum Ecclesia Evangelio ædificabatur. 3. Observarunt hinc etiam illud: posse aliquem Deo fide placere, acceptum esse, & ipsi servire, etiamsi ad præminencia officia nõ vocetur. Sed tamen inter primos discipulos voluit Christus etiam doctum Nathanaelem vocare, ut ostenderet, regnum suum pertinere & ad sapientes, & ad insipientes, Rom. 1. v. 14. sicut & postea etiam Paulum, à pueris in lege institutum, fecit Apostolum.

CAPUT XXVI.

CONTINENS DESCRIPTIONEM PRIMI MIRACULI, EDITI A CHRISTO IN NUPTIIS IN CANA GALILÆÆ, JOHANN. 2.

RATIO ORDINIS

RX veteribus quidam à profectioe Christi in Galilæam, quæ sub finem primi capitis Johannis describitur, digrediuntur ad reliquos Evangelistas, ac multas historias de iis, quæ Jesus in Galilæa docuit & fecit, interponunt, prius quam miraculum hoc mutata aquæ in vinum recensent. Idque nullam aliam ob causam, & ex nullo alio argumento, quam quòd traditio esse feratur, quòd 6. Januarii Christus sit baptizatus, quodque eodem die, revoluto anno, aquam in vinum mutarit. Ne igitur Christum per totum primum annum ministerii sui otiosum facere videantur, multas historias, quas post captivitatem Baptistæ, hoc est, secundo anno ministerii Christi, factas esse constat, sicut in prolegomenis diximus, & mox postea ostendemus, intempestivè huc miscent: ac sine ratione totam seriem historiæ Evangelicæ hoc loco perturbant. Ostendimus autem in prolegomenis, traditionem illam de sexta die Januarii incertam ac dubiam esse, nec ipsam secum consentire, aut consistere posse. Non satis autem considerate facit, qui propter incerta ea, quæ manifesta ac certa sunt, turbat & pervertit. Certum autem est ex Johannis notatione, mutationem illam aquæ in vinum esse principium miraculorum Christi. Nullum igitur aliud signum vel miraculum in ordine Evangelicæ historiæ huic præponendum est. Certum est & hoc: ea, quæ Matthæus, Marcus, &

Lucas in Galilæa à Christo dicta & facta describunt, post captivitatem Baptistæ accidisse. Sed Johannes expressè dicit, ea, quæ ipse cap. 2. & 3. describit, facta esse priusquam Joannes in carcerem conjiceretur. Illa igitur sive mixtura sive confusio historiæ à quibusdam veterum, sicut dixi, propter incertam illam de sexto die Januarii traditionem instituta, nec probari potest, nec recipi debet. Sed quia Johannes ea, quæ post reditum Christi ex deserto usque ad captivitatem Baptistæ gesta sunt, solus describit, reliquis statim digredientibus ad ea, quæ post captivitatem Baptistæ gesta sunt: Manifestum igitur est, inter hasce Johannis Evangelistæ historias, quas à medio primi capitis usque ad finem tertii capitis describit, nihil posse aut debere ex reliquis Evangelistis interferi, sed historias illas eo ordine, sicut à Johanne descriptæ sunt, in Harmonia collocandas. Quod semel hoc loco monuisse satis est. Et in hac historia Evangelista ex professo ostendit, se *ἀπολεξάντων* historiæ observasse. Dicit enim, (*Tertia die*) scilicet post aditam Galilæam, factum hoc miraculum. Et hic ordo historiæ pulcherrima consequentia cohæret. Cum enim paulò ante indicatione occultorum, & prædictione futurorum, Christus se plus quam hominem esse ostendisset: jam, mutatione aquæ in vinum, gloriam divinitatis suæ plenius manifestat discipulis.

HISTORIA DE INITIO MIRACULORUM JESU, HOC EST, DE MUTATIONE AQUÆ IN VINUM, FACTA IN NUPTIIS IN CANA, JOANN. 2.

- | | |
|---|---|
| 1. Καὶ τῆς ἡμέρας τῆς τρίτης γάμος ἐγένετο ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας καὶ ἦν ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ ἐκεῖ. | 1. Et die tertia nuptiæ fiebant in Cana Galilæa: & erat mater Jesu ibi. |
| 2. Ἐκλήθη ἔτι καὶ ὁ Ἰησοῦς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὸν γάμον. | 2. Vocatus est autem & Jesus & discipuli ejus ad nuptias. |
| 3. Καὶ ὅτε ἐξέστησαν οἶνος, λέγει ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ πρὸς αὐτόν· Οἶνον οὐκ ἔχουσιν. | 3. Et ubi defecisset vinum, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent. |
| 4. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς· Τί ἐμοὶ καὶ σοὶ, γύναι; ἔτι ἔτι καὶ ἡ ὥρα μου. | 4. Dicit ei Jesus: Quid mihi tecum est mulier? nondum venit hora mea. |

5. λέγει